



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 268. Et de positum involuit. v. 53.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

neis &c. libris laudatur? Ioseph nutritius Domini quam celebris, & quam nunc celebrior fit per Carmelitanos? Ioseph ab Arimathea, jam est positus. Ioseph cognomento *Iusti* Act. 1. celebratur Iosephus ludæus historicus, tempore Vespasiani; etsi infidelis fuit Christo tamen laudem insignem dedit, majoremque quam ullus infidelis: & ideo ea gloria ornatus est à Deo, ut propter eloquentiam in historia Græcus Livius appellaretur.

§. 268. *Et de positum involuit. v. 53.*

Accepta potestate à Pilato petebatur mons Calvaria, & cum devotione, reverentia & amore Christi corpus deponeretur è Cruce per Christi amicum, an una cum cruce per scalas cruci admotas? non habeo pro certo determinare, communis est opinio pictorum, imo doctorum quod per scalas admotas sit depositum. Et haud dubie videntes familiares & notiores Christo, quid fieret à Iosepho, accesserint etiam ipsi, & operam contulerint, veluti Ioannes, Petrus, & Nicodemus &c. uno hoc, altero aliud præstante, tunc dubio procul B. V. M. corpus exanime amplexa fuerit, & B. M. Magdalena ad Crucis radicem venerabunda advoluta, alii coronam spinicam pro reliquia sancta, alii aliud rapuerint, & servaverint,

Domine Deus in Ecclesia tua Catholica varia sunt charismata & dona gratiarum, alius excellit ordinis sacri dono, ut Episcopi, alii dono sapientia uti Doctores, alii mortificatione linguæ in loquendo, ut Carthusiani, alii in paupertate ut Franciscani, alii in solitudinis studio, ut Eremita, alii in zelo animarum & clerici diversarum congregationum & societatum. Idecirco ego quoque imitatione B. Ioseph ab Arimathea conabor in aliqua virtute excellenter me exercere, nempe in humilitate, hæc erit mea officina uti B. Iosephi istius fuit mons Calvaria.

§. 269. *Involuit Sindone. v. 53.*

Ei Sindoni hunc vicissim Dominus gratiam dedit, ut fieret instar sigilli, utpote in qua Dominus sui corporis vulnerati effigiem anteriorem posterioremque impressit, ut sicuti B. Veronicæ in sudario portat faciem, ita & Iosepho huic totius corporis figuram impressam consignavit. Fecit igitur Dominus pie & amanter cū sua Ecclesia, quod solent amantes inter se præstare, nempe in discessu à se memoriale imaginem suam donare præsentiam corporalem secundum aspectabilem propriamque figuram